

DISSERTATIO INAUGURALIS PHYSICO-MORALIS MEDICA
De

**TEMPERAMENTO
FUNDAMENTO MORUM
ET MORBORUM IN GEN-
TIBUS,**

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN.

FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS BRANDEN-
BURGICI ET PROVINCIARUM HEREDE, & reliqua,
Ex Decreto Gratosissima Facult. Medica

IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA
PRÆSIDIO

DN. FRIDERICI HOFFMANNI,

Consiliarii & Archiatri Regii, Med. & Phil.
Nat. Prof. Publ. Ordin.

PRO GRADU DOCTORIS
Summisque in Arte Medica Honoribus & Immunitatibus
rite consequendis,

ad diem Jun. MDCCV. Horis ante & pomerid.
placidæ eruditorum disquisitioni subicit

THOMAS KENNEDY,

Scoto-Britannus.

HALÆ, Typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI. Acad. Typogr.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHYSICO-MORALIS MEDICA

DE
TEMPERAMENTO

FUNDAMENTO MORUM

ET MORBORUM IN GEN-
TIBUS

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO

FRIDERICO WILHELMO

REGNI BORUSICI RECTORI

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA

DR. FRIDERICI HOFFMANNI

CONDITIS & ARCHICAMERARIIS REGNI MEDICIS

ET DOCTORIBUS

SUMMIS IN ARTIBUS MEDICIS HONORIBUS & PRIVILEGIIS

THOMAS KENNEDY

PH.D. & M.D. HONORIS & PRIVILEGIIS

RECTORI ACADEMIAE FRIDERICIANAE

FRIDERICI WILHELMO

RECTORI

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA

DR. FRIDERICI HOFFMANNI

CONDITIS & ARCHICAMERARIIS REGNI MEDICIS

ET DOCTORIBUS

SUMMIS IN ARTIBUS MEDICIS HONORIBUS & PRIVILEGIIS



VIRO
SUMME REVERENDO ATQVE MAGNIFICO

DN. DANIELI ERNESTO
JABLONSKI,

Sacrae Regiae in Prussia Maieitati Concionatori
Aulico, a Sacris Ecclesiarum unitarum fratrum Bo-
hemiae per majorem Poloniam & Prusiam Seniori.

FELICITATEM.

Duo requisita, quae maxime mortalium rationes
collustrant, conspicuasque reddunt, sunt pru-
dentia & doctrina, prius benignae naturae do-
num naturale audit, posterius adventitium di-
ligentiae propriae debetur, natura alias optima sine do-
ctrina in tenebris versaretur: Tertium requisitum, quod
priora perficit, summumque culmen attingere facit, est
pietas: Haec omnia in Viro maxime reverendo adeo con-
spicua, ut optimum Regum, donum de caelo collatum
donum in Protestantium solatium Te eligere praer multum
inducerent, ut praesses non solum ecclesiae, sed quod ma-
gis, ipsius Principis instructioni, a quo felicitas cum sta-
tus tum Ecclesiae maxime dependet, doctrina ergo pro-
funda & multiplex, non solum in sacris, quod proprii
fori est, sed in physicis, mathematicis, politicis, hujus di-
sputationis inauguralis de Temperamentis & moribus
gentium optimum reddidit iudicem. Ignoscas ergo
quod

quod ego in ultimis Europæ partibus degens, hic ad celebrem Academiam Fridericianam filo providentiæ ductus, hæc schediasma Tuo Nomini, tanquam grati animi monumentum humiliter dedicarem, quum multis nominibus me Tibi obstrictum fateor, quum honorificis literis ad Celeberrimum Dn. Hoffmannum Præsidentem me instruxeras, qui me ineffabili favore, multisq; beneficiis ad hunc usque diem Tui gratia dignatus est. Accedit quoque amor patriæ, quum sancta providentia ita disponente, quod uxor Viri Reverendissimi originem ducat ex honorabili familia Scotorum nomine Alexander insignita, vix duobus milliariis distante ab illo loco ubi ipse natus fui, ex qua nobili familia prognati sunt varii, & doctrina, militia, pietateq; conspicui. Conservat Supremū Numen Virum summe Reverendum in longævos annos, Regi fidelissimum subditum, Ecclesiæ utilissimum organon, Familiæ & patriæ decus, meq; humiliter commendans favori, semperque honori ducens, quod sim

SUMME REVERENDE VIR

obsequentissimus cliens

THOMAS KENNEDY.



DISSERTATIO INAUGURALIS PHYSICO-
MORALIS MEDICA,
DE
TEMPERAMENTO, FUNDAMEN-
TO MORUM ET MORBORUM
IN GENTIBUS.

P R Æ F A T I O.



Nulla ex omni scientiarum ge-
nere pulcherrima est, & utilita-
te tam philosopho quam me-
dico se commendat, ea certe
dicenda est, quæ cognitionem
sui, omniumque gentium tra-
ctat. Maxima sapientiæ pars
a veneranda antiquitate constanter olim habita
est cognitio sui ipsius, nec sine ratione. Quid
enim eximius, quid pulchrius, quam oeconomi-
am sui corporis nosse, & ex hac futuras ægritu-
dines, vel quid noceat, vel profit sanitati, exquisi-
te scire? Excellentius vero est, ex illo nexu, qui
est

* (4) *

est inter sanguinis motum & spiritualement animæ vim cognoscere sui ipsius, imo aliorum hominum propensiones, mores, affectus, ingenii vires, nec non virtutes & vitia. Verum enim vero quam nobilis & utilis hæc doctrina est, tam neglecta adhuc & ignorantia tenebris immersa reperitur. Muneris esset eorum, qui moralium scientiam agitant, hæc solide sciteque scrutari, fundamento autem destituti, videlicet physico-medica doctrina de temperamentis nihil laude dignum hæctenus præstiterunt. Medici itaque & philosophici potissimum negotii erit, virtutes vitiaque, aut potius virtutum vitiorumque semina singulis innata nationibus accurate subtiliterque ex sanguinis circulo, coeli rigore & clementia solique natura & victus ratione pensitare. Suscepi itaque id laboris secundum D. Præsidis ductum mentemque, & in præsentis dissertatione breviter strictimque, solide tamen, ut arbitror, exponam: fundamentum morum, morborum, & diversitatis animorum originaliter in sanguinis circulo, sive, ut veteres loqui amant, in temperamento contineri. Deum vero T. O. M. ad secundandum præsentem laborem ardentibus imploram precibus.

THESIS

Diversissimos esse hominum mores, disidentes eorum ad virtutes & vitia propensiones, distinctas quoque ingenii vires, res extra omnem dubitationem posita est. Quis enim ignorat morum animorumque difformitatem in singulis fere hominibus? quem later, singulas nationes & gentes virtutibus, vitiis, moribus, ingenioque distinctas esse? neque recens observatio est, secundum etates cujusvis hominis animum indolemque, nec non propensionem ad virtutes & vitia demutari. Acris clementia & victus tenuis & laudabilis longe alios mores viresque ingenii ingenerat animo, quam crassa diata calumque rigidum. Stupenda & maximi momenti hæc res est, animi vim atque *ἐπέπρασεν* sic variare, varieque disponi pro physicarum causarum differenti ratione, id quod inquirere jam noster labor erit.

TH. II.

Ut autem hæc omnia clarius intelligantur, placet ab ovo repetere quasi ea quæ ad negotium nostrum spectant. Agnoscimus nempe hominem esse creaturam mixtam i. e. constare substantia duplici distinctissima, quarum altera est omnis materia atque extensionis experta, rerum conscia, libere agens, judicans, impresionum capacissima; altera est corpus organicum, artificiosissime secundum leges mechanico-staticas constructum ad varios motus eundem, qui vitales audiunt, durationem corpori ad corruptionem alias propenso præstantes. In intima & arctissima hæc unione principii spiritualis & organici corporis genuina hominis essentia versatur. Et quamvis distincta sit anima secundum operationes suas, quæ in cognitione

ne, iudicio agendique libertate consistunt à corporis essentia atque operationibus, quæ motu continentur, placuit tamen Divino conditori, ut corpus recipiat ab animæ secundum eius operationes multas impresiones, & rursus ipsa anima à motu corporis fluidarum maxime, ejus partium. Manifestum documentum habemus operationis animæ in aruum motu, dum à certa cogitatione, idea & arbitrio hominis manus vel pedes certa mensura & proportionem determinata motus suos edunt. Testantur quoque animæ perversæ erroneæque cogitationes, vel animi passiones nec non impresiones phantasia, quanta turbatio motuum vitalium in corpore, imo, structuræ partium solidarum immutatio succedat. Ex adverso certum est, motus sanguinis & humorum, qui a causis mere necessariis, physicis, corporeis externis, aëre æthere, alimentis dependent, varias & mirificas impresiones in anima efficere, ejusque operationes varie disponere atque determinare, quod ipsum jam in præsentî tractatione fusius explicare instituti nostri erit. Quomodo vero hæc operatio fiat spiritualis principii in corpus, & qua ratione idealis & immaterialis actus, sicuti est cogitatio, & iudicium motus partium solidarum & fluidarum certa mensura & gradu disponere, & rursus, quomodo hi ipsi animam in suis operationibus modificare atque determinare possint, res ultra limites intellectus & captus humani posita est, interim tamen verisimilia.

TH. III.

Admittimus vero in anima duplicem viam, qua datur ingressus eam disponendi, perficiendi & cultiorem reddendi. Prima est per impresiones immateriales quæ fiunt institutione, consuetudine, educatione, unde harum rerum maxima vis est rectam rationem moresque optimos

* (7) *
mos efformandi in homine. Altera via est per ipsum cor-
pus nostrum ejusque fluidas in motu existentes partes, quæ
quid valeant in inamutandis hominum moribus & animis,
ulterius excutiemus.

TH. IV.

Elegans locus, qui meretur trutinari circa hanc rem
extat apud Hippoc. l. 1. de Diat. S. 21. *Anima, inquit, eadem
est in omnibus hominibus, corpus tamen unius cujusvis differt,
anima semper sibi similis est, & in majore & minore non alte-
ratur, neque per naturam neque per necessitatem; corpus au-
tem nunquam idem in ullo aliquo est, neque secundum natu-
ram neque ex necessitate, propterea quod passim fecernatur in
omnia, partim misceatur ad omnia.* Vult nempe sapien-
tissimus senex, unam eandemque esse essentiam animæ in
omnibus hominibus, & eam in se nulli corruptioni vel
alterationi materiali esse obnoxiam, cui corpus ex variis
elementis compositum patet. Quod itaque anima in ur-
no homine sapientior sit, quam in altero, id ejus essentia,
quæ eadem natura in omnibus est, non tribuendum, sed
vel institutioni sive rationi alterius, vel ipsi corpori, in
quo habitat, est adscribendum. Optime enim Hippo-
crates: *Magni refert, quali in corpore animi locati sunt, mul-
ta enim in corpore existunt, quæ acunt mentem, multa quæ ob-
tundunt.*

TH. V.

Diversam naturam corporis diversos mores prog-
nere, antiquissima medicorum & philosophorum est
sententia. Mores sequi temperamentum corporis Galenus
peculiari libello tractavit. Quid vero intellexerint per tem-
peramentum, quod etiam naturam & complexionem voca-
runt, paulo accuratius explicandum est. Tenendum
vero

vero ante omnia est, aliud esse temperamentum mixti aliud
 vivi corporis, illud omnibus etiam inorganicis & inani-
 matis competit, hoc tantum de vivis prædicatur organi-
 ca structura & anima præditis. Etenim temperamentum
 mixti respicit tantum commixtionem elementorum sive
 partium corporis constituentium. Elementa videlicet ve-
 teres quatuor statuebant, quæ & nos admittimus, modo
 pro igne fluidum æthereum activissimum ponatur, nec
 primariae concretiones horum, sal nempe & sulphur, quæ
 Chemicorum principia audiunt, melioris explicationis er-
 go excludantur. Prout itaque corpora ex hisce varie-
 mixta sunt, dicuntur temperata vel intemperata calidum
 vel frigidum effectum producentia. Aliter vero res se
 habet cum temperamento vivi corporis, ubi non tam ad
 materiam sive elementorum commixtionem respicien-
 dum est, sed potius ad ipsum motum tam progressivum
 quam intestinum, partiumque solidarum impulsivum, qui
 dicti motus vitam absolvunt: nam sine hisce vita subsiste-
 re nequit, hisque destructis cessat. Quodcumque itaque
 veteres nature & temperamenti mentionem injiciunt, i-
 psisque certos assignant effectus, interpretandum hoc est
 de circulo sanguinis & humorum per varios minutissimos-
 que corporis nostri tubulos. Ille enim præcipuus & vi-
 talis ille motus est, ex quo ceu fonte omnes qui fiunt in
 corpore effectus, explicari debent. In eo omnis natura
 & mechanismus corporis individui consistit.

Tradito sic conceptu de temperamento hominis,
 intelligi jam facile poterit ille canon philosophico medi-
 cus maximi momenti: quale temperamentum in eo qualis
 circulus sanguinis & fluidorum in individuo tales animi
 mores,

mores, inclinationes & ingenii vires. Sanguinem afficere animum & animam nostram jamdudum Hippocrates sapientissimus edixit, qui *lib. de flat.* §. 20. inquit: *Opinor omnia, qua in corpore sunt nihil magis ad prudentiam conferre quam sanguinem, qui ergo cum in constanti habitu persistit, consistit & prudentia, sanguine vero permutato, concidit etiam prudentia, videmus id in temulentis per ebrietatem, ubi aucto repente sanguine percellitur animus & in animo prudentia, sunt presentium malorum obliviosi, & futurorum bonorum spe beantur, & scribit porro: possem plura congerere, in quibus sanguinis permutationes animi quoque prudentiam permutant.* Et in *lib. i. de diet.* totus fere in eo est, ut demonstret ex temperatura vel intemperatura corporis animi sapientiam & desipientiam procedere, dum §. 29. prodidit: *quando in corpore elementa temperamentum acceperunt, sapientissimi sunt homines.* Et notabile est, quod prodidit Democritus in quadam ad Hippocratem epistola: *Augescit, inquit, intelligentia presente sanguine, cujus providentiam habere, honestum est eos, qui recte sentiunt. At ubi corporis habitus agrotat nec mens ipsa alacritatem habet ad virtutis meditationem: morbus enim presens animum vehementer obscurat, & intelligentiam in consensum trahit. Quid etiam manifestius est, quam in febribus vel a nimia vini spirituosae copia rationem humanam turbari & prudentiam ad tempus perire, multasque aberrationes in intellectu fieri?*

TH. VII

Ut autem res clarius pateat, sciendum est, animam maxime instituire operationes suas secundum impressiones, quas accipit a circulo sanguinis, adeo ut convenientia quaedam inter motus sanguinis & animae observetur.

B

In

(10)

In cholericis, qui sanguinem calidum & tenuem in venis fovet, dum is celeriter per cerebri membranas circulatur, disponit ejus animum ad omnes celeres præcipites impetuosasque actiones e. g. ad iram, audaciam, impatientiam, temeritatem, rixas, vehementiam in amore & odio, præcipitantiam in dictis & factis, seditionem & quæ sunt hujus generis alia. Quandoque vero in sic dictis melancholicis sanguis crassior & spissior per cerebri membranarum vasa impeditius & difficiliter tardiusque procedit, in animo exsurgunt ideæ, quæ cum tali specie motus similitudinem quandam fovent, unde ipsi trepidi timidi, tristes sunt tardi in expediendis negotiis, & sententia dicenda perpetuo difficultates faciunt, anxii, suspiciosi, diffidentes, & facile desperant de rerum successu, valde dispositi ad terrorem, meticulositatem, utpote dicti hi affectus omnes convenientiam amant cum tardo & languido sanguinis motu. Aliter se res habet in iis corporibus, ubi fluores bene temperati fluidique blande & sine ulla molestia vel obstaculo fibras vel vasa pertranseunt, cerebrique mæandros percurrunt, talis sanguinis motus reddit homines securos, nimia cura, angore vacuos, adeo ut etiam ad negligentiam, incuriam, inconsideratas actiones propendeant, præterea læti hilares sunt, prompti alacres. Sanguis vero nimia serositate abundans & segniter circumvolutus pigros, somnolentos, otiosos, inertes, timidos etiam & torpidos homines gignit.

TH. VIII.

Vitiorum *γένησις* ex temperamento etiam derivare atque deducere expeditissimum est. Observamus superbiam, arrogantiam, jactantiam, ambitionem quam maxime familiares esse cholericis, ubi cum fervore & celeritate

* (11) *

tate trajicitur sanguis per caput, utpotedicti hi affectus similititer sunt cum quadam intensione & aucta vi animi, quibus vero placide & tranquille & cum quodam delectationis sensu sanguis transiit fibras, sensoriaque corporis, hi mirifice amant omne quicquid sensibus gratum acceptumque est, ideoque voluptates, delicias in victu & amictu sectantur, venere delectantur, comœdias, ludos, musicam, dulces & gratos cibos & vinum optimum aestimant. Ubiunque vero fluidorum per fibras & vasa cursus difficilis, tardus & cum quadam molestia fit, ibi tenax retinendi libido, quæ avaritiæ nomine venit, turpiter regnare solet. Perspicua jam ex dictis erit ratio, cur avaritia senectutis, voluptas juventutis, ambitio virilis ætatis perquam familiare vitium sit. Neminem enim medicorum latet, in senibus viscidum & crassum esse sanguinem, tardumque ejus progressum, in juvenibus contra fluxilem & facilem ejus circuitum in viris impetuofum & celerem esse.

TH. IX.

Diductis sic vitiorum cardinalibus tribus fontibus ex temperamenti varietate, dispiciendum jam est an ingenii vires similiter ex eodem fundamento depromi possint? Et certe res in aprico est. Conspicimus nempe, aptissimos ad studia, ad res celerrime comprehendendas inveniendas & proferendas adeoque excellentissimi ingenii esse eos, qui sanguinem subtilem spirituosum & talem qui satis prompte & vegete circulatur, in corpore gerunt, utpote ii rerum ideas, quæ fundamentum scientiarum sunt, facillime capiunt, rursus inveniunt, easque combinare sciunt. Tali vero ingenio carent, sed judicio pollent melancholici, quibus sanguinis motus per cerebrum tardior.

B 2

Hi

Hi enim pauciores sed fixiores habent ideas, majori cura, patientia & industria eas invicem comparant & conferunt, in quo vera iudicii ratio continetur. Non inepte inde a veteribus dictum: melancholicos esse sapientissimos. Memoria vero abundant, parciore tamen iudicio fruuntur ii, quos sanguineos vel phlegmaticos dicimus. Gaudet enim memoria sive retentio idearum temperato cerebro, i. e. temperato dulci roscido succo imbuto, unde iudicium quod in sicco habitat, non tanto in gradu in ipsis observatur. Clarissimum jam erit ex dictis, cur melancholici magis dispositi sint ad eas disciplinas quæ iudicio, patientia & assiduitate egent v. gr. ad mathematicas scientias, philosophiæ naturalis & medicinæ, theologiæ profundioris & mysticæ studium, ad consilia danda in bello & pace, jus administrandum. Patet porro ex dictis cur cholericis ad exercitia corporis facienda ad disciplinas militares addiscendas, ad disputandum, refutandum, dubitationes proferendas, reformandas doctrinas, libros concificiendos sint aptissimi. Sanguinei ob memoriæ felicitatem varii generis linguas celerrime addiscunt & ad generalogiam, historiæ, geographiæ studium, recitationem, concionis, orationis valde sunt idonei.

Th. X.

Non exiguus hujus doctrinæ usus quoq; est ipsa in politica sive republica administranda. Prudenter enim ille princeps facit qui videlicet cameralibus negotiis & collegiis, quæ consulendi, deliberandi, iudicandi potestate instructa sunt, prescit melancholicum; ad obeundas vero legationes, ad ducis militum munus, ad professoris officium, ad oratorem longe magis quadrabit cholericus. Ad aulicam vero, politicam vitam, ad concionatorem, histo-

* (1) *
historiarum doctorem aptissimi erunt sanguinei. Phlegmatici sanguinem serosum agilitate destitutum possident, hinc ad studia & ingenii virtutes atq; bonas artes plane sunt inepti, unde tales homines ad militiam, ad servitia, ad operarias rudes artes sunt adhibendi.

Th. XI.

Placet jam ulterius vitia & mores pravos & bonos ex dictis temperamentis recensere. Observamus nempe melancholicos taciturnos, secretorum retentores, pertinaces tamen & suspiciosos, moribus graves, vitam sedentariam amantes, socialitatem fugientes, invidos, sorditiam amantes, delicias respuentes. Cholericus ad alios fallendos, circumveniendos valde aptus, ingeniosus, non facile feruntur, ad seditionem, certamina, inimicitias prompti sunt, facile irascuntur, vindictæ cupidi, quem amant vehementer amant, quem odio habent, vehementi hunc prosequuntur. Sanguinei contra ad luxum, voluptates, ad magnificentiam, pecunias consumendas valde prompti, injuriarum obliviosi, benigni, mites, affabiles, suaves, in conversatione inconstantes, leves, petulantes, novarum rerum cupidi, arcanorum propalatores, potatores, lufiores, veneri addicti, non suspiciosi, facile fidunt. Phlegmatici subdoli, timidi, sordidi, crudeles, suspiciosi, honorum non amantes, humilis & abjecti animi.

Th. XII.

Perpeximus hactenus mores & vitia, quatenus proveniunt ex sanguinis motu celeriore, tardiore, moderato & imbecilliore. Verum enim vero cum in mechanicis non modo ad virtutem moventis ipsiusque motus gradum respiciendum sit, sed & ad mobile & ad mobilis materiae magnitudinem, hinc etiam non inconsultum erit, effectus

effectus circuli sanguinis, qui ab ejus copia vel ejus parvitate fit, in animo modificando describere. Nam uti longe alia est ratio aliusq; effectus istius motus, ubi mobilis major moles & copia est, quam ubi minor ejus quantitas: ita etiam in corpore redundat alia virtus in animum ex motu sanguinis copiosi, alia ex motu pauci, ideoque observamus, si cholericus sanguine abundat, omnes ejus animi actiones vehementiores impetuosiores esse, quare majus robur, vigor, animositas, virtus, generositas, soliditas animo increfcit, quæ omnia remittunt, si exilior fit sanguinis in venis copia. In melancholicis copiosus & crassior sanguis hærens in cerebri anfractuosis tubulis, majorem fixitatem idéarum, speculationem de rebus profundiorē majoremque constantiam imo pertinaciam producet, ac si parciore ejus quantitas, tunc meticulositas timor, locum habet. Passiones quoq; longe magis in sanguineis crefcunt, sub copia sanguinis quam sub ejus defectu, utpote hic facit timidos, minus fortes, fluctuantes, inconstantes.

TH. XIII.

Uterius edocet experientia, sub mutatione ætatis, quæ mirifice alterat fibras corporis, quæ motus instrumentum sunt, varias mutationes non modo in corporibus, sed etiam ratione morum, inclinationum, virtutum, vitiolorumq; contingere. Prima ætas ordinario multas actiones communes habet cum phlegmaticis & sanguineis. Pueri enim & adolefcentes voluptatibus gaudent, cura sunt vacui, otio & somno indulgent, sunt incurii, inconsiderati, dulcibus delectantur, memoria gaudent. Ratio in prociñctu est; partium quippe solidarum fibræ motrices, quæ fluida impellunt, laxiores & humidiores sunt, sanguis & serum roscidi, dulces, temperati & fluxiles sunt. In juve-

nili

nili & virili ætate crescit spirituum copia, humorum adest a
credo, fibrae musculorum strictiores, sicciore, sensibiliores
que evadunt, unde majori robore pollent fluida impel
lendi. Qua de causa ambitio, animositas, ingenii vigor
ad agendum promptitudo, audacia, superbia hac in ætate
regnare solent. Senes vero ob fibrarum duritiem & im
mobilitatem spirituum & virium decrementum, humorum
crasitiam, circuitum possident tardiolem, unde hi timidi,
pertinaces, avari, vitam sedentariam diligunt, volupta
tem spernunt, iudicii robore abundant, somno carent.

TH. XIV.

At vero non tantum ætates, quæ magnam differen
tiam corpori inferunt, mutant hominum mores,
verum etiam ipse aer, ipse victus diversus plane alios in
generat animo mores & disidentes propensiones, unde
curiosa est observatio, ratione plagarum & climatum,
mundi non modo corpora, sed & penitus mores ac ani
mos gentium mirifice inter se differre. Ad comproban
dam hanc assertionem in medium placet adducere autori
tates clarissimorum virorum. *Veget. l. 1. c. 2. prodidit: pla
gam cali non tantum ad robur corporum sed animorum quoque
plurimum valere. Cui non absimile Baldi 3^{ci} dictum:
Ingenia hominum fieri deteriora vel meliora ex aeris dispositi
one. Eo spectat Curt. l. 8. Ingenia hominum ubique locorum
fitus format, & Polyb. l. 4. Ita natura comparatum est, ut cæ
lo habitationis consimiles evadamus. Et Aristot. Problem. 4.
§. 14. Optima temperies aeris non corpori solum, verum et
iam hominis intelligentiæ prodest, decessus autem omnes ut cor
poris ita etiam mentis temperamentum pervertunt. Seneca
in consol. ad Helv. l. 1. c. 6. Ingenia hominum ad similitudinem
cæli sunt formata.*

TH. XV.

Aerem vero, qui sub climatibus & plagis variat, tanta gaudere potentia ingenia corporaque immutandi, rationi admodum conveniens est. Aer enim sapienter scribente Hipp. lib. de flat. §. IV. *maximus est in omnibus, quae corpori accidunt, & autor & dominus, utpote spiritus ille est, quo vivimus & qui, ut Hippoc. ait, sensum & motum praestat membris & prudentiam cordi administrat, vid. lib. de morbo sacro §. 8.* Nam principium illud, quod movet artus & musculos corporis, materiale non aliud quam fluidum illud aereo-athereum elasticum magnae potentiae est quo nullum animal carere potest. Qualis itaque solet esse aer, tales & spiritus corporis, tales & partium solidarum & consequenter fluidorum motus. Aer purus, serenus, liquidus, temperatus temperatum sanguinis efficit motum & temperaturam corpori conciliat. Aer nimis frigidus & constrictus condensat humores, duriores efficit solidas partes, adeoque robusta corpora gignit. Nimis subtilis rarefactus & calidus, nimium dissipat humidum, exsiccat fibras, & corpora imbecilliora ficcioraque reddit. Caelum turbidum, aer crassus, humorum redundantiam impuritatem & motuum languorem causatur.

TH. XVI.

Ut autem haec illustriora evadant, & melius stabiliantur nostra sententia, experientiam optimam veritatis parentem consulere placet. Et primum illos populos considerabimus, qui in plagis sibi oppositis, natura distinctissimis, habitant. Notum est ex physicis geographicis, caelum septentrionalium regionum esse frigidissimum, aerem valde rigidum & condensatum, in plaga vero meridionali & juxta aequatorem aerem esse calidissimum valde subtilem,

lem, rarefactum. Jam videbimus quomodo differant corpora & ingenia in diversis hęc plagis viventia. Audiamus autem *Vitruvium*, qui in hac re declaranda in primis egregius fuit, hic *lib. 6. c. 2.* scribit: *sub septentrionibus nutriuntur gentes immanis corporibus, candidis coloribus, directo capillo & rufo, oculis cæcis, sanguine multo, quoniam ab humoris plenitudine cælig, refrigerationibus sunt conformati. Qui autem sunt proximi ad axem meridianam (hyperbolice Zonam torridam vocant) subiectiq; solis cursui brevioribus corporibus colore fusco crispo capillo oculis nigris cruribus invalidis sanguine exiguo solis impetu perficiuntur.* Hęc de corporis dispositione & habitu. De animo idem adjicit, *In meridianis regionibus propter sanguinis exiguitatem timidiore nasci, tolerantiores vero ardoris febrium, quod illa corpora cum fervore sint nutrita. Ex interjectis nonnullis: propter tenuitatem cali meridianæ nationes ex acuto fervore mente expeditius celeriusq; moventur ad consiliorum cogitationes, septentrionales vero nationes infusa crassitudine cali propter obstantiam aeris humore refrigerate stupentes habent mentes.*

TH. XVII.

Recensemus vero inter septentrionales in primis Suecos Norwegos Danos Lithuanos Livonos Moscovitas Anglos Scotos. De hęc populis observamus, quod habeant corpora procera obesa robusta coloris candidi ossa magna aër quippe frigidus constrictus externe corpora ambiens, impedit exhalationem humidi & calidi, in quo vita & nutritio consistit. Præterea strictiores efficiendo non dissipatur, sanguis colligitur, & succulenta fiunt corpora candidi coloris, qui frigiditatis signum est; nam nimius calor adurendo candorem extinguit.

C

TH. XIX.

Propter ingens corporum robur sanguinis copiam & vires unitas, fortes & animosi sunt hi populi, metus enim fit ex minori sanguinis copia & spiritu. Egregia sunt, quæ circa hanc rem annotat *Aristot. l. 2. de part. c. IV.* ita scribens: *Quorum animalium sanguis fibris multis & crassis referus illa animosa & furibunda sunt; solida vero omnia, quando calefacta sunt, vehementissime calefaciunt, ex quo fit, ut tauri & apri animosi iracundi furibundique sint, sanguis enim eorum fibris refertus est.* Robur corporis sanguinis viriumque copia animo etiam infundunt robur, fervorem & animositatem, unde non meliores milites dantur populis, qui habitant septentrionem. Elegans locus est, quem *Bodinus* habet in *method. hist.* ita scribens: *Imperia versus austrum propagata semper fuerunt, vix ab austro versus septentrionem. Sic Assyrii Chaldeos, Medi Assyrios, Græci Persas, Partii Græcos, Romani Pænos, Gothi Romanos, Turca Arabes, Tartari Turcas fregerunt. At Romani ultra danubium progredi noluerunt. Galli ab Anglis saepe victi, Angli ab Scotis. Omitto Gothorum, Scytharum, Hunnorum incursiones & infinitis ea res probari potest exemplis. Atque illud est, quod Prophetæ toties ab aquilone bella minentur, quod intelligendum est de iis, qui a gradu 45 usque ad 75 habitant. Ceteri qui ultra habitant, nimio frigore peruruntur.* Addimus & hoc, quod horum populorum corpora aspera & dura ad injurias aeris & tempestates non facile alterentur & hinc labores vigilias sustinere diutius possunt. Sunt etiam ingenia eorum immanfueta. Præclare *Seneca de ira lib. 2. c. 16.* *In frigora septentrionemque vergentibus immanfueta sunt ingenia sua, ut Poeta inquit, similima celo.*

TH. XIX.

Præterea septentrionales gentes præ australibus & qui præcalidas regiones incolunt hoc habent peculiare, quod

quod sint foecundiores, longæviores quoque. Notum est ex historicorum veterum monumentis, à septentrione, versus austrum colonias ubique factas & populos inde difeminatos. Foecunditas ex sanguinis laudabilis copia oritur, qui si praesens est, & succum roscidum feminalem abundantem suppeditat, & in matribus nutritium optimum succum subministrat, longævitas vero ex fibrarum robore, spirituum ac virium copia pendet. Observatione dignissimum, quod *Bodinus l. 3. Theatri natura*, scribit: *in regionibus australibus mulieres quadruplo numero superare viros, in regionibus aquilonaribus virorum numerum aut superare feminas aut illas aequare*. Ratio est, quia mares a robustioribus foeminae ab imbecillioribus procreantur. Sic *Hercules* fertilissimus mares suscepit 72, unam tantum foeminam. *Achabus* Rex Samariae 72 quoque liberos virilis sexus. *Gideon* Hebræorum Princeps filios 71 nullam omnino foeminam procreavit.

TH. XX.

Notandum est, quod in septentrione nati & educati non ita sint malitiosi, quam australes & calidarum regionum incolæ. Certe malitia in proceritate corporis minus moratur. Non male olim *Cæsar Antonium & Dolabellam* obefiores minime verebatur, *Brutum* vero & *Casium*, à quibus occisus fuit, formidabat. Quo fit, ut pene ab omni memoria *Scythæ*, *Germani*, *Scoti*, *Helvetii* ad custodiam Principum fuerint adhibiti. Rationem si querimus, hæc dari poterit: Malitia perficitur multis subtilissimis inventionibus & artibus, ad quas texendas opus est ingenio, ingenium vero poscit spiritus subtilissimos, quibus ob clementiam & rigiditatem aeris nationes hæc destituuntur, quicquid enim corporibus hic accedit, menti decedit. Nam paulo stupidiores & non valde ingeniosi sunt

* (20) *

sunt populi hi omnium consensu & experientia teste præ australibus ob spirituum & sanguinis crassitiam atq; humores adustos. Eleganter enim *Aristot. l. 2. de part. anim. c. 2.* dicit, *Sanguinem crassorem & calidiorem concurrere ad efficiendum robur, sed non ad intelligentiam, tenuem vero obtinere vim plenorem sentiendi & intelligendi.*

TH. XXI.

Percurramus jam etiam australium mores, qui sicuti regiones, plane sunt contrarii. Nam statum & firmum manet hoc, cæli positionem corporibus habitum & ingenium indolemque dare. Per australes vero intelligimus Afros, Barbaros, Arabes, Persas, Ægypti populos, & qui sub elevatione trigesimali quinti gradus usque ad æquatorum habitant. Hæ gentes quoniam fruuntur cælo tenui & subtilissimo calidissimoque aere, sanguinem valde acrem sulphureum, adustum habent, ubi nimius ardor humidum roscidum ex corpore dissipat, & spirituosas partes, quæ stabilimentum virium sunt, consumit. Eam ob causam corpora minus carnosæ & obesa sunt, sed parva, sicca, macilenta, debilia, coloris fulci oculis nigris, crispo, duro & nigro capillo, ossa habent exiliora, tenuiora, quare ob imbecillitatem corporum minus ad militiam apti & laboribus, injuriisque aeris sustinendis idonei, bellicosi & animosi non sunt, sed timidi ob paucitatem sanguinis & fibrarum, quibus vis est motrix, teneritudinem. *Lipsius in not. Senec. scribit, Hispanos, Gallos, Afros, Syriacq; populos, molles bello antequam legio visatur cedunt, opportuni ad iracundiã & agedum illis corporibus & animis delicias, luxum, opus ignorantibus, da disciplinam, neesse erit nobis Romanos repetere.*

TH. XXII.

Ulterius australes populi minus sunt sæcundi, quia calor excessivus dissipat rorem dulcem, qui seminis materiam

* (21) *

riam constituit, & infantis nutritioni inservit. Eam ob causam videmus, feminas Indiae Africae, Ægypti non ultra duos vel tres parere liberos, quod etiam in australiore Hispaniæ parte accidit, salaces vero sunt hi populi omnes unde mares etiam in Hispania 16 etiam anno, & 14 feminae conjugium ineunt, & vaga libidine mire agitantur, quæ salacitas fit ob acrimoniam lymphæ stimulantem; humores quippe ob æstum prænimium acres & salsi fiunt; nec inepte salacitas à sale derivatur. Olim sacerdotes Ægyptii castissimi omni sale abstinebant & insulso pane utebantur. Venus etiam dicitur cum spuma nata.

TH. XXIII.

Deinceps australes populi his moribus præditi. Sunt ad rem attentissimi, timidi, crudeles, tristes, solitarii, molliciarum studiosi, stupidi: sanguis nempe nimio calore adustus crassus fit & iners, & spiritibus dissipatis motus fit tardior & imbecillior fluorum, unde fluit dictorum vitiorum origo. Sunt vero infidi, astuti, malitiosi inconstantes ob spirituum nimiam tenuitatem & mobilitatem *Liv. l. 3. dec. 15.* dicit. Afram gentem ad omnem auram spe mobili & infidamente existere. Et *Virg. l. 1. Æneid.* Tyrii, qui Afri sunt, bilingues i. e. fallaces vocantur, ut explicat *Serv.* ad vers. illum:

Quippe domum timet ambiguam Tyriosq; bilingues.

Græci dicuntur ingenio & facundia præstantes, allentatores, leves, infideles, Cappadoces, Cilices, Cretenenses suapte ingenio fraudulentissimi & mendaces, in quorum notam Græcum illud est *ῥεῖα κἀππὰ κέκισα*, ac de Cretenfibus omni exceptione majorem habemus testem D. Paulum in ep. ad Tit. c. 1. Dixit quidam ex iis proprius ipsorum propheta: Cretenenses semper mendaces, malæ bestiae, ventres pigri, quod ex Epimenide sumtum est.

C 3

TH. XXIV.

Mediarum regionum incolæ & qui sub Zona temperata vivunt, maxime ii, qui sub elevatione poli gradus quinquagesimi tertii usque ad 42. degunt, & in Europa in primis Angli, Germani, Galli, Hispani, Itali, Græci, Hungari, Turcæ Europæi meliori ingenio fruuntur, & sapientiores reliquis nationibus sunt; temperatura enim caloris & frigoris optimum habitum corporis & sanguinis efficit, & temperatus sanguis sapientiam etiam ipso Hippocratis effato conciliat. Quare observamus, studia & artes subtilissimasque disciplinas non alibi excelsius floruisse, quam dicto in climate. Itali pictura, architectura, musica præstantissimi, Hispani profundæ speculationis sunt in moralibus & philosophicis, Angli in Theologia morali, Metaphysica & inventione artium mechanicarum, Galli præstantissimi oratores sunt, Politici, Anatomici & Chirurghi, Germani optimi, Chymici, Medici Jcti, mechanici, pluri- mas quippe inventiones ipsis debemus: fuffecerit meminisse pulveris pyrii, typographiæ, tuborum optidorum, præstantissimorum experimentorum physicorum, chymicorum, e. g. posphori vitri rubini, artis metallurgicæ & fusoriæ, tormentorum bellicorum, medicamentorum optimorum. In Græcia olim sapientiam habitasse notum est. Quapropter hæ regiones ob ritus humaniores, fecunditatem ingenii semper protulerunt legislatores sapientissimos, æquissimos judices, Philosophos subtilissimos, principes mathematicos, disertissimos oratores, præstantissimos Poëtas.

Th. XXV.

Temperatæ quoq; regiones ob cœli clementiam & aeris temperaturam disponunt egregie advirtutes, quas mediocritas & temperies ex communis Philosophorum senten-

* (23) *

sententia semper commendat. Quapropter Germani, Galli, Itali, Cumani mites, affabiles, boni & honesti misericordes & minus aliis crudeles sunt. De Asia scribit *Liv. l. 23. c. 34.* Asia mitissimo caelo, igitur & clementibus accolae sunt ingeniis. Et *Thevenot. l. 1. p. 84. itin.* Turcas non crudeles homines sed mites, non avaros, sed principi fideles, temperatos aestimat. Italos imprimis Gentenses & Lucenses esse indolis ingenuae modestos, humanos affabiles mites ingenio, subtiles, Germanos misericordia & humanitate, candore, ingenio quoque omnes fere nationes superare quis ignorat?

I. H. XXVI.

Tandem etiam discrimen observatur inter populos, qui ad orientem & occidentem habitant. In oriente, aer subtilior sicciior serenior, in occidente humidior, unde orientalium corpora ficciora macilentiora sensibilia; pinguiora & crassiora occidentalium. Nam aer ficcus & calidus acutiores reddit mentes, refrigeratus tardiores. Chineses ingenio acuto multis gentibus praefereudos esse, illorum inventiones in opificiis mechanicis, abunde testantur, ob ingenium subtile magnos lufores & mercatores esse notum est. Circa occidentales & omnes eos, qui insulas occidentales vel loca maritima colunt, notandum, quod crassiora corpora gerant, & ad rem nauticam, & naumachiam aptissimi sint, testantibus id Suecis, Norwegis, Scotis, Anglis, Batavis, Portugallis, Gallis, inter hos vero omnes excellunt Batavi. Ratio nobis haec videtur, quod caelum humidius impressionem etiam animo faciat ad amorem maris & aquarum, ut lubentius fere ibi quam in terris habitent, unde nautica arte excellunt omnes. Ingeniose *Flor. l. 2. c. IV.* ait, *Alpina corpora bumens caelo educata habent quiddam simile cum nivibus suis.* Videmus

demus nempe populos versus orientem & meridiem plane inidoneos esse navigationibus, unde mari bellum gerere & classem navium instruere nesciunt. Robustiora occidentalium sunt corpora, nutritio enim amat humidum & alimantia quoque equi boves vaccae sunt longe grandiora & obesiora, maximamque copiam lactis fundunt, testantibus id butyro, caseis Hollandicis, Suecicis, Anglicis, Frisiis, Cimbricis. Humoribus vero in corpore abundantia ut obtundit mentis vires, ita hi populi stupidiores sunt iis, qui versus austrum & orientem habitant, quod etiam valet de animalibus. Constat enim equos Hispanorum, Turcarum, Arabum, Persarum breviores quidem & macilentiores sed longe celerioris activitatis esse Danicis, Frisiis, Cimbricis. Neque climata tantum homines sed ipsa quoque animantia efficiunt eorumque actiones disponunt.

TH. XXVII.

Maximam esse potentiam caeli & aeris in corpus, sanguinem ejusque motum adeoque in mentes hominum, demonstratum haecenus. Verum quum non modo aer sanguinis habitum & circulum disponat, sed & ipse victus; hinc nullum dubium quin & hic ipse in mentem, ut in corpore agat, nec levem mutationem ibi efficiat. Multum enim confert ad motum progressivum circulare qualis indoles & conditio fluidarum & mobilium partium sit, quae materiam & nutrimentum a victu accipiunt. Victus enim durus ex induratis & salitis carnibus & piscibus, fabis, pisce, pane grossiore non alium nisi crassum densum viscidum sanguinem corpori ingenerat, unde ossa solidiora crassiora, fibrae duriores fiunt, sed mens stupidior. Potest hinc dari ratio quare non modo ob aeris rigiditatem sed & victum duriorum septentrionalium validiora corpora gerant, & hinc bellicosiores sint ipsi australibus.

TH. XXVIII.

* (25) *
 TH. XXVIII.

Eam ob causam in Germania magna datur differentia hominum respectu corporum & animorum. Conspicimus nempe Pomeranos Mecklenburgicos Westphalicos Brunsvicenses Marchicos Hassos Juliacenses optimos esse Germaniæ milites, adeo ut a ducibus præ omnibus aliis æstimentur. Ratio in prociuctu est: fruuntur victu duriore, qui corpus firmum & robustum reddit & laboribus aerisque injuriis aptum; nec luxui assueti sunt, sed frugaliore, inde bello optime inserviunt. Addimus & hoc, quod sanguis ex hoc victu promanans copiosus & crassus fortes constantes horum hominum animos efficiat. Insuperiores bello observantur Misnici Suevi Austriaci Thuringi Silesii, quia sunt mollioribus tenerioribusq; cibis assueti, otioq; & somno dediti, qualis victus effeminatum animum teneriusque corpus reddit: ex adverso vero animadvertimus, hos omnes acutioris & subtilioris ingenii esse præ Pomeranis Westphalis Cimbris reliquisque.

TH. XXIX.

Ad sanguinis laudabilis copiam confert multum carnis recentium & jusculorum inde extractorum esus, quæ de causa Galli, qui carnes amant, sanguine abundantissimi sunt, unde V. S. optime tolerare possunt. Sanguis hinc factus copiosus & fluxilis ingenium promptum facile alacriter variegatum curis vacuum ad studia & artes aptum, mentem vero inconstantior fluxiliorem inque nonnullis levior reddit. Hispani Portugalli & Australes ob æstus majorem adustioris & calidum, cibosq; boni succi, fovent sanguinem calidioris unde fastuosi jactabundi, graves sunt; quoniam vero ob nimiam salacitatem & venæ præmaturam ociumque imbecilla corpora reddunt, ad labores officia agriculturam & fecunditatē inepti sunt.

D

Ital;

Itali ob deliciosum dulcem & aromaticum cum victum tenuemq; aerem molles sunt corpore, valde libidinosi ingenio tamen acutissimi bello inepti. Alpinarum regionum accola Helveti Tyrolenses Pedemontani & qui Carniolia Carinthia Styriamq; accolunt ob aerem frigidior simplicem victu lacteam dietam & frugalitatem corpora robusta proceracandidi coloris gerunt; hinc ad militiam & servitia, quam ad studia aptiores sunt, & sanitatem vitamque diutius servant præ aliis, quoniam diuturna vita & optima valetudo frugalitatis sobrietatis, temperie simplicis victus quieti animi nec non exercitationis corporis soboles esse solet. Angli & Scoti non adeo temperato benignoq; cælo fruuntur, ob frequentem tamen carniū nec non vini generosum usum corporibus ingenio & moribus discrepant plane ab aliis septentrionalibus gentibus; & secundum veteres ipsorum temperamentum dici poterit sanguineo melancholicum, quod ad studia opificia meditationes ad bellum gerendum rem nauticam quoque præstantissimum; nam ob lautam dietam sanguinem copiosum & spirituosum generant, frigidior vero aer & humidior robur ingenerat fibris, sanguinemque densat & eam ob causam nationes hæ præ omnibus aliis peculiare quid habent; boni enim sunt milites, opifices, literatores. *Bodinus scribit: Gallos sæpe ab Anglia maximas clades accepisse & pene imperium amisisse & nunquam in Angliam nisi ab incolis acceptos penetrare potuisse.* Et Anglicus Martialis canit:

Anglorum sensit virtutem Gallia semper

Ad Galli cantum non fugit iste Leo.

Et Herodianus vocat illos, gentem bellicosissimam atq; avidissimam cædis l. 3. c. 14. §. 14. Scoti quoniam tam delicato vitui non assueti sunt, ut Angli, hinc uti vocant, sunt melancholici in bello strenui & nunquam victi factorum

Storum non minus ac injuriarum tenaces, unde videre est, familias antiquissimas vadimonio mutuo ad difficultates redactas. De ingenii exercitatisimis Scotorum judicium non erit arduum, qui Bellendenos Cadanos Barclajos Burnatos Ridaeos Sibaldos Melinos Lesleos Magillos Neperos & tot alios longe clarissimos musarum alumnos noverit: Buchananum certe nominasse suffecerit, qui solus etiam, si sterilis alias studiorum fuisset patria, illam divino ingenio illuminare potuisset. Asiaticis & Africanis est oryza, ex qua panem conficiunt, frequentissimus cibus, præterea carnibus leviter assatis & dulcibus fructibus utuntur, a spirituoso autem liquore omnes fere abstinent & cum nimius æstus dissipet spirituosas sanguinis partes reliquasque adurat, hinc timidi subdoli molles ociosi, ingenio stupidi bello inepti & ad servitia aptissimiprædicantur. Silesii Hungari carne & boni succi alimentis utuntur & aere valde elementi: hinc sanguineorum mores æmulantur, & ad labores militiamq; non a deo idonei sunt.

TH. XXX.

Circa potum quod ille ipse corpori & animo mutationem asserat, & nostram observationem inferere placet. Constat ex Geographicis à 43 usque ad 50 gradus elevationis poli in Europa vinum crescere optimum, reliqua loca vel propter nimium æstum vel frigore ad proferendas uvas earumque maturationem plane sunt inepta, exceptis Canariensibus insulis. Continentur vero sub dicto hoc districtu tota Hispania, Gallia Italia Germaniæ australior pars Hungaria Græcia Natolia Sicilia Cyprus & totus Archipelagus, ubi mollissima vina soli & cæli indoles profert. Jam observamus, omnes hos populos qui vino utuntur, longe ingeniosiores esse reliquis omnibus. Nullibi enim

artes liberales & disciplinarum studia melius floruerunt quam dictis in locis. Vina enim fovent vires, pituitas extenuant, mordaces curas humanis mentibus infestas abstergunt, vini animo reddunt, spiritalcentiam sanguinis promovent, ingeniumq; acuunt; unde non ineptè vinum peccatarum equus dictus est: intelligendum vero id est de moderato usu non de excessivo. Nihil enim menti & rationi magis nocet & vitiorum dispositionem ingenerat, quam ebrietas ex vino & spiritu vini: sunt inde temerarii fallaces infidi libidinosi arcanorumq; proditores, & hanc rationem addamus, cur ob potum vini & spiritus vini nimium Poloni Hungari Transylvani Moscovitæ nec Principibus nec propinquis fidem servent & temeritate arrogancia fraudulencia Europæ cæteris nationib; sint superiores. Turcæ & Persæ quod non ament rixas & duella quod nō crudeles sint, sed fideles honesti boni, non fraudulentī, maximam partem aquæ potui, simplici victui & quod à vino vel spiritu vini abstineant, adscribimus. Detestandus etiam mos est in locis septentrioni subiectis, cerevisia, spir. vini & tabaco sese inebriare. Nulla autem pestis ingeniis nostris majorq; stupiditas infertur, & ad vitia proclivitas, quam hoc more. Longæviores esse eos qui aqua subtili & vino moderato utuntur, quam qui cerevisia & spiritu vini, certissimum est, nec eget ulla probatione. Primævi homines ante diluvium præter aquam nihil aliud bibebant & ad extremam senectutem sani robustique degebant. Brachmanes longævi erant, quia abstinebant carnibus & vino. De Indicis eorumque adversus voluptatem variis exercitiis seu Gymnosophistis *Clem. Alexand.* prodidit, non solum à vino aliisq; cibis delicatioribus eos abstinuisse sed prorsus, quo omnis voluptatis vim plane infringerent, frequentissima jejunia interposuisse. Voluptati enim

* (19) *

enim per temperantiam optime obviam itur, hinc Pythagoras simplicissimum victum discipulis suis commendabat. In hoc omnium carniū esum fuisse prohibitum *Alexis apud Athen. Strabo Plutarchus Origines Hieronymus* alique tradunt.

TH. XXXI.

Cum itaque tanta sit vis aeris alimentorum solidorum & fluidorum in corpora ingeniaque hominum, facile exinde discimus, bonam dietam, convenientem rerum non naturalium imo medicamentorum usum ingenii etiam vim mutare posse. Rectissime concludit *Hippocrat. l. de Dieta 1. §. 32. & sane hoc faciens b. e. tali dieta & medicamentis utens sanior & sapientior anima fuerit.* Et *ibid. Sect. 36. §. 33. Potestq; ex dieta & melior & deterior anima fieri.* Pulchra sunt, quae scribit in hanc rem *Cartesius diss. de methodo §. 6. Animus adeo a temperamento & organorum corporis dispositione pendet, ut si ratio aliqua possit inveniri, quae homines sapientiores & ingeniosiores reddat, quam haecenus fuerunt, credo illam in medicina quari debere.*

TH. XXXII.

Ex dictis & adductis haecenus illud concludendum esse arbitror, primo quod animi mores ingenii vires pro-
pensionem ad vitia & virtutes utique optimaratione ex statu sanguinis prout differt temperie mixtione & motu, deduci & explicari posse, adeoque ad hominum affectus exponendos opus esse doctrina physica medica de natura humana. Secundo discimus ex superioribus, quod veterum explicatio de temperamento, dum ea distinguunt in sanguineum, phlegmaticum, melancholicum, cholericum & ex quatuor humorum vel elementorum mixtione ea deducunt, nullius sit momenti neque sufficientem, sed naturae humanae diversitates ex circulo sanguinis com-
modis-

modissime exponendæ sint, qui circulus prout differt respectu sanguinis ut rei mobilis, respectu virium motricium seu spirituum, respectu vasorum quæ viæ sunt motus, respectu fibrarum, quæ instrumenta sunt motus, sit ille vel celer vel tardus, vel temperatus, vel magnus aut parvus, debilis vel vehemens & pro differentia hujus motus differentia inclinationum & morum animo ingeneratur. Tertio ex præcedentibus etiam clarum est, res externas corporeas non passive se tantum gerere respectu animæ nec mere sub imperio ejus esse: sed causas valde activas existere, quæ mirifice ex se & sua natura & necessitate quadam alterare non modo corporis sed & animi habitum possint, unde exquisita rerum corporearum physica & mechanica scientia non modo ad medicinam rationalem, sed & philosophiam moralem saniolem summe est necessaria, adeo ut medicus hac destitutus pure empiricus voce bono sensu accepta maneat. Quarto: peperam agunt, qui existimant, circuli sanguinis cognitionem ad explicandos mores hominum esse sufficientem & tantum in conjectandis hominum affectibus ad temperamentum respiciendum esse. Nam utut non negemus, naturalium propensionum fundamentum in hac re consistere, attamen eum & educationis, consuetudinis institutionis nec non dispositionis hæreditariæ magna sit in propeationibus corrigendis vis; hinc optime ille facit, qui deditus est studio sapientissimæ doctrinæ moralis, quæ animum hominis cognoscere docet, ut simul ad diætas res attendat & hæc invicem probe conferat; alias in prædicendo & conjiciendo mirum quantum decipietur.

TH. XXXII.

Perpeximus hætenus fundamentum morum in circulo sanguinis ejusque motu positum esse, jam instituti ratio

tio exigit ut brevissime etiam insinuemus, qua ratione
 circulus humorum diversimodè disponat etiam ad ipsos morbos.
 Et ut exordiamur a cholericis seu iis, qui circulum sanguinis
 celerem & vehementem habent, constat observatione pra-
 ctica, quod ad morbos similis indolis, nempe cum impe-
 tu junctos inclinent, v. gr. ad tertianas continuas inter-
 mittentes? febres ardentes biliosas & cholericas, deinde ad
 inflammationem, pleuritidem phrenitidem erysipela-
 ta anginam ophthalmiam hæmorrhagias narium, hæ-
 moptysin & inde propullulantem phthisin hæcticam in-
 flammationem hepatis ventriculi intestinorum? vomitum
 diarrhoeas colicam biliosam purpuram arthritidem va-
 gam cephalalgiam acutam. Et quoniam in ætate juveni-
 li & virili, item in regionibus præcalidis & australibus
 nec non a victu calido & aromatico, vini potu similis motus
 celer nempe sanguini injungitur, hinc etiam fit, ut tam-
 ætas juvenilis & virilis quam præcalidum clima & victus si-
 milis ad eosdem morbos corpora disponat.

TH. XXXIII.

Melancholici, in quibus sanguis crassus difficulter
 circulatur, propendent ad morbos chronicos, qui a tali
 causa foventur, nempe tardiori sanguinis per caput vi-
 scera & abdomen progressu; ad malum hypochondriacum
 obstructions hepatis & lienis glandularum viscerum ob-
 turationes, scorbutum ulcera alvi adstrictionem, calcu-
 lum podagram fixam & nodosam, melancholiam, hæ-
 morrhoides cæcas & suppressas, hemicraniam icterum ni-
 grum siccam scabiem, herpetem, pathemata hysterica spaf-
 modica dispositi sunt, & iisdem quoque morbis afficiuntur
 septentrionalium regionum incolæ atque provectioris æ-
 tatis nec non qui victu duro crassoq; utuntur, acidisque
 delectantur.

TH. XXXIV.

Sanguinei ob temperatum sanguinis motum, victum laudabiliorem, sedentariam vitam variasque voluptates colligunt sibi excessivam sanguinis copiam, quæ non sufficenter moveri potest, præsertim cum præditi sint ut plurimum habitu corporis laxiore spongiosiore, vaporum multitudine exilitate atq; fibrarum musculosarum laxitate, hinc sanguinis stagnationes fiunt in illis, incurrunt inde inflammationes nempe ophthalmiam pleuritidem nephritidem, peripnevmoniam, empyemata, abscessus, apostematata, narium hæmorrhagiam, phthisin dolores lumborum fluxum hæmorrhoidalem. dolores ex calculo articulorum, cephalalgias, odontalgias otalgias scabiem humidam, febres sanguineas synodas apoplexiam & asthma. Et consimiles quoque affectus conspiciuntur in iis, qui laute & intemperantius vivunt, temperatasq; regiones incolunt.

Th. XXXV.

Phlegmatici, quorum sanguinis motus, debilis, languidus & quibus serum magis quàm sanguis in venis custoditur ad catharros rheumatismos, coryza n alvi fluxum *ἀρτηρίαν*, passionem eolicam, sphacelum, cachexiam anasarcam, hydroperitonem, febres quotidianas, catharrales, putridas verminales petechiales, animi deliquia apoplexiam pituitiosam, paralytin, glandularum tumores defluxiones serofas, epiphoram, & fluxiones oculorum, genitalium putredinem, gonorrhæam fluorem album valde sunt proclives. Correspondet hic ætas puerilis, aer valde humidus, cælum densum crassum, vaporibus repletum, tempestas diuturna humida & otiosa vita.

Th. XXXVI.

Clarissime perspicimus ex dictis, morborum dispositionem atque fundamentum petendum esse ex hominis natura

natura vel temperamento seu rectius mechanismo corporis sive clarius ex circulo sanguinis. Verum enim vero reponere quis posset, quod plures dentur homines, qui tali temperamento præditi sint, & raro tamen quis inveniatur, qui tali malo corripiatur. Cui dubio respondemus, quod temperamenta quidem disponant ad morbos hos, exinde tamen minime sequi, ut causæ sint proximæ, quas presso pede sequi debent effectus. Una vero causa remota, quæ disponit corpus, non sufficit, sed plures simul conspiciunt necesse est in eundem effectum. Quapropter si quis cholericus constitutus sit in ætate puerili, non incurrit hos morbos, si quis fuerit in ætate juvenili, non utitur vero aere calido & à cibis calidis abstinet, neque tum incurret morbos dicti temperamenti, quod si vero dicto temperamento clima calidum, ætus, ætas juvenilis calidorumque usus associantur, tunc non evitabit morbos qui adscribi solent huic temperamento.

TH. XXXVII.

Postremo ex omnibus quæ attulimus, clarissimum jam erit, differre quoque pro natura locorum temperamento- rum victus, genera medicinæ & aliud opus esse in nimia sanguinis copia in ejus motu præcipiti & vehementi, in tar- do & debili & aliud in Gallia, aliud in Svecia, aliud in Germania. Aliter modo medicina tractandi sunt, qui duro & crasso cibo, aliter, qui lautiore victu fruuntur: unde patet, eos qui medicinam universalem crepant, non intelligere naturam artis nostræ sed inter ignorantes & deceptores nume- randos, utpote in eo artis & scientiæ nostræ indoles posita est ut distinguamus naturas hominum, morborum causas, re-
 E medio.

* (34) *

mediorum vires & pro horum differentia prudenter ordinemus & dirigamus eorum usum, plura de hac materia alia vice Deo largiente vires exspectari possunt.

S. D. G.

Praclarissimo Dn. THOMÆ KENNEDY,

Scoto Britanno, S. P. D.

IO. SAMUEL STRYKIUS.

ITa ergo ius fasque postulabat, ut honores dudum promeriti, tandem Tibi solemni ritu & cum gratulationibus debitis conferrentur. Scilicet non satis Tibi erat genus trahere ex illustri celebrique inter Britannos stemmate, oportet enim hominem ingenuum non aliorum radiis coruscare, sed propria virtute ostendere se non indignum esse & degenerem magnorum parentum & proaorum filium. Hoc cum animum Tuum stimulet, noluisti in patriis finibus subsistere, sed extero: etiam visitare, & quicquid sapientiae & eruditionis habet cultior orbis, peregrinando per varia Regna & prouincias, ipse oculis perlustrare & in penum colligere. Laudo propositum, & cum nunc Tibi honores publice conferantur, gratulor Tibi ex animo, de tam felici studiorum Tuorum successu. Faxit Deus, ut hoc industriae Tuae praemium sit proecium maiorum adhuc dignitatum in ipsa patria impetrandarum, omniaque Tibi cedant feliciter! Dabam in Regia Fridericiana mense Junio.

CLARIS-

CLARISSIMO DN. KENNEDY,

Nobili Scoto,

P R Æ S E S.

Sapientissime scribit Celsus in præfatione: Verum est, ad ipsam curandi rationem nihil plus conferre quam experientiam. Itaq: naturæ rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit. Utpote non negandum, observationem attentam rerum & effectuum circa corpus humanum animam esse imò caput praxeos medicæ; si tamen absq; comitatu rationis & demonstrationis scientificæ est certitudinis omnis expertus existit. Medicum enim Philosophum Hippocrates desiderat, & philosophia sororem medicinam non sine ratione dixerunt veteres, quos & vocarunt medicos. Et olim semper sapientiæ pars habitata est medicina. Nam miser est ille medicus, qui non novit prudenter de doctrinis dubitare, res distinctas separare, & conclusiones ex claris atq; perspicuis principiis apte derivare. Miser est ille medicus, qui non est physicus, & qui non effectuum, quos activissima res naturales corpori humano adferunt, rationes ex mechanicis anatomicis chymicis principiis solidas reddere novit. Felix ille medicus, qui hominum adfectus atq; propensiones ex corporis habitu sanguinisque indole perspicere & suos proprios adfectus nosse, & ratione atq; diata temperare atq; corrigere scit. Felix ille etiam est, qui prudentia utitur in rebus gerendis in conversatione cum tot dissidentibus hominum ingenis. Falluntur itaq; illi vehementer, qui perfecti medici persuasionem sibi imbiberunt, quando in academiis praxeos præcepta tantum addidicerunt ad lucrum faciendum, si vitam politicam postmodum ingredientibus, spe & fortuna sua mirum in modum frustrantur. Tu, Nobilissime Scote, aliter rem tractasti; non voluisti cruda studia

in forum medicum propellere, sed prius elegantiores literas & philosophiæ præcepta magna cum ardore atq; studio agitaſti. Neq; contentus tantum iis quæ domi ſunt multas peregrinas nationes & gentes viſitaſti, adeo ut doctrinas, & mores a verſarum gentium agnoſcere allaboraveris. Per tres ferme annos integros hic commoratus es, & vehebementer nobis probaſti ingenium tuum ſatis acutum atq; ſagax. Spectatiſſima quoq; nobis fuit tua indoles candoris, conſtantie, & gratitudinis laude conſpicua, quas virtutes in omnibus maxime auditoribus deſideramus atq; permagni facimus, unde etiam promeruiſti laudatiſſimorum virorum favorem. Tu purus & vacuus à præjudiciis prudenti cum dubitatione atque propria veri inquiſitione diſſideras etiam opiniones in explicanda doctrina medica percepſti, quod ſelectorum tantum ingeniorum proprium eſt. Aſſidua & ſtrenua diligentia res tam curioſas quam utiles ſpectaſti, & omnia ea, quæ à genuino artis filio exquiri poſſunt perfeciſti, unde etiam majori cum laude atq; approbatione capis honores, quos, plures nimis præcipitanter ambiunt atq; capeſſunt. Hi ut tibi cedant in emolumentum ſaluberrimum, republica commodum atq; ſalutem, Deum ter optimum maximum ceu omnis boni largitorens enixe precamur.

GEORGIUS ERNESTUS STAHL, D.P.P.
NOBILISSIMO DN. CANDIDATO

S. P. D.

Quantum commodi è prudente converſatione atque commercio cum peregrinis gentibus nanciſcantur diſſerſorum populorum Viri, uti neminem latet, ita non ultima eſt laus, & decus ſane non poſtremum, ſi quantum utili-

* (37) *


utilitatis ab hoc convictu cum exteris sibi ipsis acquirunt,
tantum etiam decoris sibi inter illos conciliant & acqui-
rant, honesta & ingenua vivendi ratione. Certe enim
verax & infucatum testimonium; etiam procul à patria
(ubi alias minus noto esse liceat, & ubi simulata virtuti
& exercita sincera virtutis, ubi vis gentium non magis bo-
nam existimationem, quam applausum atq; benevolentiam
promeretur. Sane vero Tu Nobiliss. Dn. Candidate
decenter hoc negotio functus es, qui patria digressus, mul-
torum mores hominum cognoscere, & urbes visere non
solum cordi habuisti; sed etiam utilitati Tuæ, prudentiæ
& eruditionis farraginem inter externos conquirere, vigili
studio connixus es. Ut de Te confidenter judicem, quod
etiam alibi locorum non magis utilitati tuæ invigilare,
quam virtutem colere, & bonæ famæ atque existimationi
studere, antiquissimum habueris, impetravit à me Tua,
jam tertium annum, apud Nos servata vitæ ratio; ubi cum
indefessa assiduitate, studium cui animum applicuisti Me-
dicum, dignè excoluisti, junxisti consortium cum hone-
stis Viris, & erga tales ingenua modestia ralem Te gessisti,
ut Tibi, studiis tuis, imo honori tuo, animis ex officiis
favere non potuerint negligere. Asssecutus ita es, una-
cum bona existimatione etiam laude dignissimam in me-
dica arte eruditionem, atque tam judicandi quam agendi
dexteritatem. Quarum verum intuitu, cum animum ad-
jeceris ad Praxin ipsam exercendam, eoque nomine Jura,
Privilegia & Honores, huic proposito viam planiorem,
sternentes, & legitime petieris, & ex merito imptraveris,
non possum, quin Tibi gratuler, & maxime esse virtute ju-
beam. Perge, & Arti, & Virtuti, gnaviter operari, ante
omnia

(38)

omnia vero rebus gerendis Pieratem adhibere & Benedi-
ctionis divinae praedium assidue invocare: ita nunquam
fiet, quin felicitate, honore, honestis vitae subsidiis, con-
stanti animi tranquillitate, & inconcussa *αὐταρχεία*, potia-
ris, imo fruaris. Opto ex animo, *ευχαρίστην καὶ εὐχαίρειν.*
Dabam è Musæo d. 16. Junii MDCCV.








vol 18

ULB Halle 3
003 890 414


f

sb.





Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13



S PHYSICO-MORALIS MEDICA
De

AMENTO TO MORUM UM IN GEN- BUS,

(23)

quam
NIFICENTISSIMO
NCIPE AC DOMINO
ON.

WILHELMO,
ECTORATUS BRANDEN-
ARUM HEREDE, & reliqua,
ssima & Facult. Medica

MIA FRIDERICIANA
SIDIO
I HOFFMANNI,
ri Regii, Med. & Phil.
Publ. Ordin.

U DOCTORIS
a Honoribus & Immunitatibus
sequendis,
CC V. Horis ante & pomerid.
n disquisitioni subicit
KENNEDY,
Britannus.

ANDREÆ ZEITLERI. Acad. Typogr.